



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

III. De beneficijs Ecclesiasticis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38979**

ius communis Doctorum & piorum suffragio & praxi approbatus, ut Clerici quicumque iter facientes aut alia simili de causa breviorum aliquam vestem, quam foranellam vocant, gestare licite possint; cum in ea sufficiens habitus Clericalis nota reperiatur, per quam, accedente praesertim Tonsura, ab aliis laicis facile distinguantur.

ARTICVLVS III.

De Beneficijs Ecclesiasticis.

**N**omine beneficij Ecclesiastici intelligitur ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale auctoritate Ecclesiae constitutum. Ita Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 34. dub. 1.

Sunt autem alia beneficia regularia, quae solis regularibus competunt, & alia secularia, quae secularibus conferuntur. Item alia sunt beneficia (ut loquuntur Canonistae apud Rebuffum in praxi pag. 6.) alia simplicia. Duplicita vocantur illa, quae adiunctam habent aliquam administrationem, aut eminentiam in Ecclesia; qualia sunt beneficia curata Archidiaconatus, Episcopatus, &c. beneficia simplicia dicuntur illa, quae nullam administrationem aut eminentiam eiusmodi habent, sed tantum instituta sunt ad preces Deo fundendas, aliaque diuina officia obeunda; tales sunt Capellania, &c. ut docet Nau. & alij apud Less. sup. dub. 2.

His breuiter prae notatis, ex variis ac plurimis, quae a Theologis circa beneficia disputari solent, praecipua & maxime scitu necessaria, ex communi & magis recepta probatorum authorum doctrina hic breuiter subiiciemus, & quaestiuiculis aliquot explicabimus.

## QVÆSTIVNCVLA I.

Quot modis beneficia Ecclesiastica licitè  
obtineri possint.

QVinqve præsertim modis beneficia hodie obtineri possunt. Primò præsentatione, seu nominatione patroni & institutione collatoris: secundò, electione & confirmatione: tertio collatione liberâ: quarto resignatione in fauorem cum secuta collatione: quinto permutatione.

Præsentatio seu nominatio est personæ alicuius idoneæ per patronum Episcopo vel alteri, ad quem institutio seu collatio pertinet, legitimè facta exhibitio. Institutio autem est ipsius beneficii, iuriumque illius collatio, & attributio: & hæc institutio seu collatio fieri solum potest per Ecclesiasticos; præsentatio verò etiam per laicos.

Electio in eo differt à præsentatione, quòd electio fiat à pluribus vt à Capitulo, & à solis Ecclesiasticis, per suffragia, præsertimque in prælaturis locum habeat: præsentatio verò etiam ab vna persona etiam laica, & in quouis beneficii genere. Confirmatio verò est collatio beneficii facta electo, sicut institutio est eadem collatio facta præsentato seu nominato.

Collatio dicitur, quando beneficium solo iure Prælati datur, nec subest iuri patronatus.

Resignatio est, quando quis beneficium suum liberè resignat, seu dimittit in manibus collatoris in fauorem alterius.

Permutatio denique, quando hæc resignatio sit causa permutandi beneficii cum alterius beneficio. De quibus videri potest Lessius suprâ.

Quæres, vtrum beneficia sint semper dignioribus conferenda. Respond. quòd, licet is, qui resignat beneficium in fauorem alterius, non teneatur quærere dignissimum,

num, sed sufficiat, si dignus sit resignatarius: electores tamen, presentatores, & collatores tenentur semper, quantum in ipsis est, curare, ut dignissimis conferantur beneficia, præsertim curam animarum annexam habentia, ut ex S. Thoma & plurimis aliis Theologis docet Less. sup. dub. 14. idque varijs SS. Patrum autoritatibus fusè probat; ita ut peccet mortaliter is, qui eligit, præsentat, aut confert beneficium, præsertim curam animarum annexam habens, digno, prætermissò absque vlla causa legitima eo, qui notabiliter dignior & aptior videtur, speraturque multò melius functurus officio. Quod etiam confirmari potest ex Conc. Trid. sess. 24. de cr. de ref. cap. 1. vbi dicitur expressè, *omnes, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum, cumque ius habent, mortaliter peccare, nisi, quos digniores, & Ecclesie magis utiles ipsi iudicauerint, non quidem precibus vel humano affectu, aut ambrosiorum suggestionibus, sed, eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint.*

Dictum est (absque legitima causa) quia, si v. g. patronus præsentet dignum, collator conferre tenetur, etsi alios magis idoneos nouerit: Item, si beneficium ex institutione sua conferendum sit alicui ex certa familia: tum enim aptissimo ex illa familia conferendum erit, non verò alijs etsi aptioribus.

Quocumque autem modo beneficium aliquod obtineatur, cauendum est præ cæteris simoniae peccatum, quod in prædictis omnibus obtinendi beneficii modis reperiri potest, tam ex parte obtinentis quàm conferentis aut patroni: de quo quidem peccato, quoniam nimis crebro euenire solet, paulò accuratiùs nobis agendum est.

† †  
†

Cc 2

QVÆ.

## QVÆSTIVNCVLA II.

Quibus modis simonia, tum in aliis casibus, tum  
praesertim in obtinendis beneficijs  
committi possit.

**S**imonia peccatum à Simone Mago Act 8. nomen acce-  
pit, eò quòd primus dona Spiritus Sancti pecunià eme-  
re voluerit, & ut loquitur S. Aug. tract. 10. in S. Ioa. vo-  
lebat emere Spiritum sanctum, quia volebat vendere Spiritum  
sanctum: ex quo factum est, ut peccatum illud, quo spiri-  
tuale aliquid aut spirituali annexum pecunià aut aliqua  
re pretio aestimabili emitur aut venditur, *Simonia* nun-  
cupetur. Quàm graue autem sit illud peccatum, patet  
tum ex obiurgatione asperrima, qua S. Petrus erga præ-  
fatum Simonem vsus est; tum etiam ex eo, quòd cap. Re-  
peritur 1. q. 1. appellatur *Excrabile flagitium*; & c. Sicut 1.  
de simonia dicitur *Simoniacam pestem sui magnitudine aliu-  
anima morbos vincere*, & cap. Sane 15. quaest. 13. dicitur in-  
sar publici criminis laese maiestatis esse puniendam.

Est autem triplex simonia (vt docet Tol. lib. 5. cap. 86.)  
mentalis, conuentionalis, & realis. Simonia mentalis du-  
plici modo contingere potest: primò, cum quis delibe-  
ratè vult emere, aut vendere aliquid spirituale: secundo,  
cum aliquid exterius facit cum intentione emendi aut  
vendendi aliquid spirituale sine vllò pacto externo; vt si  
quis obsequium præstet prælato aut patrono hac inten-  
tione, vt conferatur illi beneficium in obsequij merce-  
dem.

Simonia conuentionalis est, quando aliquod pactum  
externum interuenit; quod tamen siue ex vtraque, siue  
alterutra parte nondum executioni mandatum est.

Simonia realis est, quando ex vtraque parte pactum  
executioni mandatum est.

Quocunque autem modo simonia committatur, est  
semper

semper grauiſſimum peccatum; non tamen incurruntur  
pœnæ aduersus ſimoniacos decreta, niſi propter ſimoni-  
am realem, aut propter conuentionalem, quæ in confi-  
dentiâ reperitur, vt docet & probat Leſſ. ſup. dub. 27. &  
ex infra dicendis patebit.

Quoniam verò innumeris propè modis hoc peccatum  
committi poteſt, quos ſigillatim perſequi nimis proli-  
xum foret, proponemus hic regulam generalem commu-  
niter à Theologis receptam, quâ dignoſci poterit in quo-  
uis caſu particulari, vtrum ſimonia committatur, nec ne:  
ad cuius faciliorem intelligentiam ſupponimus 1. nomi-  
ne rei ſpiritualis, quæ per ſimoniam vendi aut emi dici-  
tur, intelligi à Theologis (vt rectè obſeruat Leſſ. l. 2. c.  
35. dub. 1.) non id omne, aut ſolum, quod eſt incorpo-  
reum, ſed id, quod eſt aliquo modo ſupernaturale, ſiue  
ſit aliquid reale, ſiue aliquid morale tantùm, ſiue in mo-  
dum actus, ſiue in modum habitus, vt ſunt virtutes ſu-  
pernaturales, gratiæ gratis data, aut gratum facientes, ſa-  
ceramenta, & quiuis vſus poteſtatis alicuius ſupernatura-  
lis: vel etiam id, quod eſt rei ſupernaturali annexum, vt  
ſunt beneficia eccleſiaſtica, &c.

Supponimus 2. pecuniam aut aliquid pecuniâ aſtima-  
bile, vario & multiplici titulo pro aliqua re ſpirituali da-  
ri poſſe: ſcilicet vel per modum preſij ipſius rei ſuperna-  
turalis, vel per modum eleëmofynæ & ſuſtentionis,  
quæ miniſtro eccleſiaſtico tribuitur; vel per modum ob-  
lationis, quæ Deo ſit in perſona miniſtri; vel per modum  
liberalis & gratuitæ donationis; aut denique per modum  
laudabilis conſuetudinis ab Eccleſia probatæ.

Supponimus 3. ex communi & recepta Theologorum  
doctrina (cuius probatio videri poteſt apud Leſſ. ſup.  
dub. 4. duplicem eſſe ſimoniam, aliam iure diuino, aliam  
iure humano & Eccleſiaſtico prohibitam: c. g. venditio  
quæuis, aut emptio rei ſpiritualis ſupernaturalis eſt ſi-  
monia iure diuino prohibita, vt ex variis ſcripturæ locis  
probat Leſſ. venditio autem vel emptio rei alicuius tēpo-  
ralis, quæ alicui rei ſpirituali annexa eſt, v. g. emptio aut

venditio beneficiorum Ecclesiasticorum quoad par-  
 tem temporalem, simonia est Ecclesiastico iure veti-  
 ta: quia (vt idem Lessius fuse declarat) quamuis ius ad  
 percipiendos fructus beneficij materialiter & seorsim  
 à quouis officio spiritali & sacro consideratum, sit  
 aliquid temporale; quod proinde diuino iure non  
 est inuendibile, Ecclesiasticis tamen legibus, quae  
 ab eodem Lessio, & alijs doctoribus fuse citantur, ob re-  
 uerentiam rei spiritalis annexae prohibitum fuit, ne ta-  
 le ius vendi possit: vnde sicut Ecclesia potest decreto ali-  
 quo suo locum materialem diuino cultui dicatum red-  
 dere immunem, ita vt, qui violat immunitatem illam  
 Ecclesiastico iure introductam, peccet contra virtutem  
 religionis, adeoque peccatum sacrilegij committat: ita  
 rem temporalem rei spiritali annexam, propter anne-  
 xionem illam potest à venditione reddere immunem, ita  
 vt, si vendatur aut ematur pretio aliquo temporali, ven-  
 ditio illa aut emptio simoniaca censeatur.

His suppositis, ad dignoscendum, in quibus casibus  
 simoniae labes incurratur, vel non incurratur, generalis  
 regula haec esto. Quotiescunque aliquid spiritali vel  
 spiritali annexum (eo sensu, qui supra explicatus est)  
 emitur aut venditur: id est, quotiescunque pro tali re  
 accipitur, aut datur aliquid pecuniæ aestimabile tanquam  
 illius pretium, toties peccatum simoniae committitur; se-  
 cundum si alio titulo detur, vel accipiat, tunc enim  
 idendum est, qualis sit ille titulus, an verus & legiti-  
 mus, an verò fucatus, & ad palliandam simoniam appo-  
 situs.

Ex quo intelligitur ad rationem simoniae duo praeser-  
 tim requiri; quorum vnum est pretium, qualis est pecu-  
 nia, aut quiduis aliud pretio aliquo aestimabile, quale est  
 munus à lingua, vel à manu, vel ab obsequio, vt commu-  
 niter docent Theologi: alterum est veluti merx, scilicet  
 res aliqua spiritalis aut spiritali annexa, quæ tali pre-  
 tio aestimatur, eo que venditur aut emitur: vnde, quoties-  
 cunque haec duo simul concurrunt, toties committitur

simo-

simonia; si verò vel vnum illorum defit, nō committitur. Ex antè dictis sequitur. non esse simoniam, si pretium aliquod, vel merx recipiatur pro munere docendæ scientiam aliquam naturali industriâ comparabilem: quia eiusmodi scientia non est quid supernaturale; & præterea (vt recte obseruat Alenf. 2. p. q. 185. n. 3.) merx illa propriè loquendo non tam datur pro doctrina quàm pro labore docendi, qui est pretio æstimabilis: quia ratione etiam licitè merces aliqua honesta, pro tradenda Theologiæ doctrina dari aut accipi potest, ratione laboris, qui in scientia adeò sublimi & ardua recte explicanda non nisi maximus esse potest, quique proinde ipsius corporis vires valde exhaurire solet: quod etiam docent Adrian. Caiet. Victoria, Sot. Sua. & alij apud Laym. cap. 7. de sim. paragr. 4.

Sequitur 2. neque etiam committi simoniam, si Sacerdotes stipendium seu honorarium accipiant pro celebrationibus Missarum, exequiis mortuorum aliisque functionibus Ecclesiasticis: quando illud non datur per modum pretij, sed per modum eleëmofynæ & sustentationis, aut laudabilis consuetudinis ab Ecclesia approbatæ; vnde Apostolus 1. Cor. 9. dicit, quod, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deseruiunt, cum altari participant: & cap. ad Apostolicam audientiam de simonia, expressè habetur, quod, quamuis Sacerdotibus & Clericis, pro his & similibus pecuniam exigere, & extorquere prohibitum sit; laici tamen laudabilem consuetudinem piâ erga sanctam Ecclesiam deuotione introductam infringere non debent sub prætextu Canonice pietatis, sed quod per Episcopum ad id possunt compelli.

Sequitur 3. nullam quoque committi simoniam, quando pro dote puellæ, quæ vitam religiosam vult profiteri, aliquid ab ea vel eius parentibus accipitur; cū id accipitur per modum sustentationis, secus verò si præcisè pro ipsa susceptione ad statum religiosum aliquid acciperetur, quia tunc esset id omnino simoniacum, vt docent S. Th. Sot.



Sylu. Suar. apud Laym. c. vlt. de sim. paragraf. 4. qui etiam merito dubitat, vtrum, quando monasterium diues est, licitum sit aliquid eiusmodi titulo sustentationis exigere: certè S. Doctor aperte declarat in 4. dist. 25. q. 3. art. 1. q. 2. ad 7. *Quando sine grauamine monasterij recipi potest non tantum, simoniacum est aliquid exigere: cui subscribunt Caiet. Victoria, Rosella, Armilla, Less. Suar. & alij apud Laym. supra, & Innocentius III. in conc. gen. Lateran. cap. 64. habeturque cap. Quoniam, de simonia, penitus prohibuit, ne moniales pro alijs in certum & Monasterium suum cooprandis & admittendis, pretium vllum recipiant prae-textu paupertatis non quidem veræ, sed fictæ & simulatæ. Quamuis autem Less. cit. cap. 35. dub. 12. Tol. lib. 3. cap. 89. & quidam alij Theologi nitantur excusare praxim illam, quæ in omnibus ferme monasterijs etiam ditissimis nunc viget, vt in ea nonnisi, mediante dote, ac pretio sub obtentu sustentationis pateat aditus; idem tamen Lessius fatetur id esse verum auaritiæ signum, & speciem simoniæ retinere.*

Sequitur 4. nullam esse simoniam, quando calices, & alia vasa, & vestiimenta sacra venduntur aut emuntur, quia, vt ex communi Theologorum consensu docet Suarez l. 4. c. 4. n. 12. hæc & similia, quamuis consecrata, & cultui diuino dicata remaneant semper secundum se pretio æstimabilia, ac proinde vendibilia: consecratio enim non nisi accidentaliter illis annectitur: si tamen maiori pretio venderentur, quia consecrata sunt, tunc simonia committeretur, vt docet Tol. sup. & satis per se patet.

Quod autem spectat ad simoniam, quæ in beneficijs Ecclesiasticis reperiri potest, vt facilius & certius dignosci possit, in quibusnam casibus id contingat, obseruationes aliquas ex magis communi, & recepta Doctorum sententia hic breuiter subijciemus.

Prima est, nullam esse simoniam resignare beneficium in fauorem tertij cum clausula (*Non aliter, nec alias*) quando eiusmodi resignatio fit in manibus summi Pontificis.

vt ex Rebuffo, Nauarro, & alijs docet Lessius cap. 35. dub. 14. & satis ex communi vsu, & praxi constat.

Secunda, nullam quoque esse simoniam resignare beneficium in manibus eiusdem summi Pontificis reserua- ta aliqua moderata pensione, vt docet idem author dub. 15. & ex communi vsu satis patet. Imò qui vult resignare in fauorem tertij sub onere alicuius pensionis, potest licite cum illo transigere de illa, non quidem absolute sed sub beneplacito Pontificis; alias, si absolute faceret, simo- niam committeret.

Quares, vtrum is, qui resignat sub onere pensionis ad facilitorem & tutiorem illius solutionem de hypotheca aliqua, aut fideiussore cum resignatario conuenire licite possit; Resp. posse, dummodo fiat sub eiusdem summi Pontificis beneplacito, & illius autoritate confirmetur; alias illicitum fore, ac simoniam redolere, vt docet idem Lessius: qui etiam recte monet in resignationibus quibuscumque omne pactum de onere temporali, quod iure non est annexum, licite fieri non posse, absque legitima autoritate superioris: quod maxime obseruandum est.

Tertia, resignare vel conferre beneficium alicui in confidentiam, id est, ex intentione illum obligandi, vt post aliquod tempus propinquo vel amico resignantis, aut conferentis, aut cuius alteri resignet, aut, vt pensio- nem ex ea alteri soluat, esse simoniam confidentia men- talis: si vero pactum intercedat, esse confidentiam simo- nia realis, quæ poenas iuris infert, vt docet idem Less. dub. 16. & habetur in Bulla Pij V. quam refert Nau. cap. 23. numero 110.

Quarta est, beneficia non posse licite permutari sine Prælati autoritate: & hanc permutationem non modo illicitam esse ac simoniam redolere, sed etiam irritam & inuolidam, vt habetur apud eundem Less. dub. 17.

Quares, vtrum in permutatione beneficiorum com- pensari possit fructuum inæqualitas? Resp. posse, dum- modo id fiat ex licentia & autoritate summi Pontificis, vel reseruando pensionem ex beneficio, quod ampliores

habet prouentus, vel aliquid praestando; quod ab iplo Pontifice tanquam iustum & licitum approbetur, vt docet idem Less. supra.

Quinta est, illum, qui habet ius in beneficio aliquo, seu cui beneficii collatio legitime facta est; posse pretio redimere vexationem iniustam, si forte quis illum à possessione capienda impediatur, nec in ea redemptione ullam committi simoniam, vt ex S. Doctore, Soto, Nau. & alijs docet Less. dub. 18.

### QVÆSTIVNCVLA III.

*Quanam sint poena contra simoniacos  
constituta.*

**P**oenæ illæ secundum iuris dispositionem non incur-  
runtur nisi ob simoniam commissam in religionis in-  
gressu, Ordine, & Beneficijs.

Atque in primis excommunicantur tam dantes quam  
recipientes aliquid simoniacè pro ingressu religionis,  
& qui sic admissi sunt, non nisi ex dispensatione Ordina-  
rij in Monasterio illo manere possunt, vt patet ex extra-  
vag. Urbani IV. quæ incipit: *Sarè non in vinca domini.*

Similiter is, qui confert ordines simoniacè, est excom-  
unicatus, vt habetur in extrau. *Cum detestabile*, de simonia: est  
etiam suspensus à collatione cuiusuis Ordinis, etiam ton-  
suræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium:  
interdictus est etiam illi Ecclesiæ ingressus; & si contra  
suspensionem vel interdictum illud aliquid fecerit, est  
suspensus ab administratione suæ Ecclesiæ, & à percep-  
tione fructuum omnium suorum beneficiorum, nullus-  
que potest illum absoluerè præter summum Pontificem,  
etiamsi delictum sit occultum, vt habetur in Bulla Sixti  
V. edita in malè promouentes & promotos, quod intel-  
ligendum est pro ijs locis, in quibus Bulla promulgata &  
recepta fuit: existimat si quidem Less. dub. 24. illam ple-  
riam

risque in locis ignorari, proindeque non esse receptam.

Qui autem Ordinem aliquem simoniace suscepit, est excommunicatus ipso facto, ut habetur cit. extrauag. *Cum detestabile*: est etiam suspensus ab executione suorum Ordinum, ut ibidem dicitur; & per supradictam Bullam Sixti V. priuatur omnibus dignitatibus, officiis, beneficiis, & efficitur inhabilis ad omnia, nec ab alio quàm à Romano Pontifice absolui posse dicitur.

Denique qui beneficium simoniace confert, aut conferri procurat, eligendo, presentando, confirmando, commendando, est ipso facto excommunicatus, ut habetur cit. extrauag. *Cum detestabile*: quæ poena etiam ibidem decernitur contra illos, qui operam suam interponunt, ut beneficium simoniace obtineatur, vel ut Ordo simoniace conferatur.

Qui verò beneficium per talem simoniam acquirit, est ipso facto excommunicatus, & collatio ac prouisio beneficii nulla est, nullumque ius tribuit, ut in eadem extrauaganti statuitur: ac insuper fit inhabilis ad idem beneficium obtinendum, ut habetur capite *Nobis fuit*, de simonia, & cap. penult. de electione. Quæ poenæ similiter inflicte sunt contra eos, qui simoniam confidentiæ committunt, ut fufius explicat Less. dub. 26.

Quæres, vtrum pretium simoniace acceptum sit restituendum. Resp. quòd, quamuis Nau. cap. 23. num. 103. & 104. & quidam alij Theologi existimant nullam ad id esse obligationem, probabiliter tamen & tutior videtur sententia Adriani, Henrici, Soti & plurimorum aliorum Doctorum apud Lessium dub. 28. qui asserunt pretium illud esse restituendum, non quidem ei, qui dedit,

sed Ecclesiæ vel pauperibus, ut ex S. Thoma.

& alijs probat idem Lessius dub. 31.

## QVÆSTIVNCVLA IV.

Vtrum licitum sit plur. & simul beneficia  
possidere.

**V**T huic quæstiunculæ satisfiat, nihil aptius afferre  
possumus, quam ipsius Concilij Tridentini decre-  
tum sess. 24. cap. 17. in quo, quis esset Ecclesiæ uni-  
uersæ sensus super hac re, declarauit his verbis: *Cum Ec-  
clesiasticus ordo peruertatur, quando vnus plurimum officia occu-  
pat Clericorum; sanctæ sacræ canonibus cautum fuit, neminem  
oportere in duobus Ecclesijs conscribi: verum quoniam multi  
improba cupiditate affectu se ipsos, non Deum, decipientes, et  
quæ bene constituta sunt, varijs artibus eludere, & plura simul  
beneficia obtinere, non erubescunt: sancta synodus debitam re-  
gendæ Ecclesijs disciplinam restituere cupiens, præsentis decreti,  
quod in quibus uicunque personis, quocunque titulo, etiam si Car-  
dinalatus honore fulgeant, mandat obseruari; statuit, ut in  
perferum vnura tantum beneficium Ecclesiasticum singuli con-  
feratur; quod quidem si ad vitam eius, cui conferatur, honeste  
sufficiendam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex  
sufficiens, dummodo vtrumque personalem residentiam non requi-  
rat, eidem conferri. Hocq; non modò ad cathedrales Ecclesijs,  
sed etiam ad alia omnia beneficia, tam secularia quam regula-  
ria, quocunque, etiam commendata, pertineant, cuiuscunque  
vultu, ac qualitatis existant.*

Ex quibus Concilij verbis quædam scitu necessaria,  
& obseruatu dignissima colligere possumus.

Primum est, quòd, quamuis habere plura beneficia  
non sit intrinsecè malum, alioquin nullo in casu super il-  
lis dispensari posset, non est tamen ex se omnino indiffe-  
rens, sed est ex genere eorum, quæ deformitatem quam-  
dam & inordinationem præ se ferunt; cum Concilium di-  
cat pluralitate illâ ordinem ecclesiasticum peruertere; pro-  
indeque non nisi adhibitis certis circumstantijs cohon-  
dari posse: quæ est expressa ipsius S. Thomæ doctrina

Quod

quodl. 9. art. 15. cui communiter alij Theologi subscribunt.

Secundum est, pluralitatem illam præsertim in beneficiis curam animarum habentibus, censeri illicitam, & expressè declaratur in conc. Trid. loco sup. cit. & in Conc. Later. sub. Alexandro III. cap. 13. quod etiam similiter intelligendum est de aliis quibuscunque incompatilibus, quales sunt dignitates, personatus, officia & alia omnia beneficia, quæ residentiam requirunt: quæ quidem plura simul retineri non possunt, quamvis vnumquodque eorum seorsim ad vitam honestè sustentandam non sufficiat, vt ex Concilij verbis satis constat. Est tamen verum aliquando in ista pluralitate beneficiorum incompatibilium summum Pontificem dispensare posse, quando evidens & notabilis Ecclesiæ necessitas, vel utilitas id exigit; quâ ratione S. Gregorius, Marinus, Paulinum, Agnellum, & alios Episcopos, duobus simul Episcopatus præfisse voluit: verum de illa necessitate, & utilitate Ecclesiæ, an talis sit, quæ pluralitatem illam coram Deo excuset, penes ipsum summum Pontificem esto iudicium.

Tertium est, licitum esse plura beneficia compatibilia simul obtinere; si ita necesse sit ad honestam vitam sustentationem, vt ex citato Concilij decreto habetur. Compatibilia autem beneficia in diuersis quidem Ecclesijs censentur ea, quorum saltem alterum ad residentiam personalem non obligat; in eadem autem Ecclesia compatibilia beneficia dicuntur ea, quæ non sunt vniformia, seu quæ ad easdem functiones minimè concurrunt, quæ proinde in casu supra dictæ necessitatis simul retineri possent, nisi alicuius specialis Ecclesiæ constitutio, vel consuetudo repugnet, vt docet Nau. Less. & alij apud Laym. tract. 1. c. 8. de benef.

Qualis autem sit honesta illa vitæ sustentatio, cuius necessitas pluralitatem illam beneficiorum coram Deo excuset, prudentis ac timorati vni iudicio determinandum est, qui spectatis, & perpensis circumstantijs status, conditionis, ætatis, personæ & alijs similibus, id ex æquo

& bono dijudicare debet: alia siquidem censetur esse honesta vitæ sustentatio requisita in Episcopo, alia in sacerdote inferioris Ordinis: alia item esse solet ratio victus in persona multum nobili & illustri, alia in ignobili. Constat etiam virum doctum ingenijque dotibus præcellentem, ac pro bono communi ecclesiæ laborantem vberiori annonâ indigere, non quidem ad delicias aut fastum, sed ad sustentandas corporis vires, vel ad alia adiumenta necessaria comparanda.

Quartum denique est, cessante causâ rationabili & iusta, siue honesta sustentationis, siue necessitatis aut utilitatis ipsius Ecclesiæ (vt sup. dictum est) illicitum esse plura beneficia; quamuis compatiblea, simul retinere, nec ad id vllam summi Pontificis dispensationem posse suffragari; eum hæc beneficiorum qualitas cunctæ pluralitas iuri naturali repugnet, quando nulla iusta & rationabili causa eohonestatur. Ita sentit S. Bern. Epist. 27. ad Theobaldum Campaniæ comitem, & lib. 3. de consid. ad Eugenium cap. 6 & S. Thomas cit. quodlib. 9. art. 1. Ita etiam docent Palud. Adria. Gabr. Sylu. Maior, Caiet. Azor. Nau. & plures alij, quos citat & sequitur Laym. supra: quibus addere possumus Cardinalem Bellarminum in Epist. ad Episcopum Theanum nepotem suum, vbi, postquam dixit sacros Canones horrere multipliciter beneficiorum, addit Theologos Parisienses post longam disputationem anno 1238. definiuisse *neminem posse duo beneficia, si vnum sufficeret ad eum aliquid, obtinere sine peccato mortali.*

Ceterum an præter Ecclesiæ necessitatem & utilitatem, & honestam vitæ sustentationem, subesse possit aliqua alia causa iusta & rationabilis, ob quam dispensatio super pluralitate beneficiorum compatibleum licite postulari, & valide impetrari queat, Doctorum iudicio discutiendum relinquentes; hoc solum obseruamus huic beneficiorum pluralitati absque vlla legitima causa, minime suffragari consuetudinem & vium à multis introductum: cum (vt recte monuit Bellarminus in admonitione ad Clement. VIII. vsus ille tanquam prauus, & abusus à Concilio Tridentino sit abrogatus. QVA-

## QVÆSTIVNCVLA V.

Qualiter se beneficiarij gerere debeant in expendendis beneficiorum suorum redditibus.

**T**ria sunt genera bonorum, quæ beneficiarij possidere possunt. Less. l. 2. c. 4. d. 6. Laym c. 3. de benef. *Patrimonialia*, quæ ipsi hereditate, vel industriâ, vel donatione, vel alio modo, quo laici solent, sibi acquirunt. *Quasi patrimonialia*, quæ ipsis tanquam Clericis obveniunt, ob functiones aliquas Ecclesiasticas v. g. ob Missæ celebrationem, concionem, cantum Ecclesiasticum, &c. *Merè Ecclesiastica*, quæ ratione beneficij alicuius v. g. Canonatus, Decanatus, &c. percipiuntur. Et de bonis quidem patrimonialibus certum est beneficiarios (secundum doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 183. a. 7 & aliorum communiter Theologorum) liberè disponere posse; cum eiusmodi bonorum verum habeant dominium perinde ac laici: neque enim per Clericatus, aut Ordinis susceptionem fiunt dominij incapaces, neque se bonorum dominio abdicant; proindeque bona patrimonialia prohibito expendere possunt, dummodo tamen in eis expendendis nihil ab ipsis fiat, quod iustitiæ vel charitati repugnet. Idem quoque de bonis quasi patrimonialibus dici posse censent Ioannes Maior, Couarr. Nau Less. & alij, quos citat & sequitur Laym. sup. & etiam de bonis merè Ecclesiasticis, seu de redditibus beneficiorum, quorundem eam partem tantum, quæ congruæ cuiusque sustentationi necessaria est.

Difficultas igitur præcipua est de ea parte reddituum & proventuum Ecclesiasticorum, quæ congruæ & honestæ sustentationi minimè necessaria est, ac proinde ipsis beneficiariis superflua: de qua quaritur, qualiter ab ipsis expendi debeat. Cuius quidem difficultatis resolutio pendere videtur ex altera quæstione, num scilicet beneficiarij, habeant verum & proprium dominium illius.

lius.



illius partis fructuum & reddituum suorum, quæ cogrua, & honestæ illorum sustentationi necessaria non esse de qua re dux sunt celebres Doctorum sententia.

Prior est Maioris, Palud. Nau. & aliorum apud Less. sup. qui censent beneficiarios non esse dominos illius partis redundantis, sed tantum dispensatores, proindeque obligari ex iustitia ad partem illam in pios usus expendendam; alias si secus fecerint, non modò peccare mortaliter, sed etiam ad restitutionem obligari, id est teneri tantundem ex alijs bonis in pia opera impendere. Posterior sententia est eorum, qui docent post erecta beneficia, certosque prouentus singulis titulis assignatos, beneficiarios effici absolute dominos omnium prouentuum, ita ut, quamuis partem superfluam in profanos usus expendendo mortaliter peccent, non tamen ad ullam restitutionem faciendam obligentur. Ita Sot. Couar. Franc. Sarmento & alij; quos citat & sequitur idem Less. sup.

Quamuis autem ambæ illæ sententiæ propter auctoritatem grauiam & insignium Theologorum, qui eas propugnant, & rationes, quibus fulciuntur, sint valde probabiles: prior tamen, ut ipsemet Lessius fateatur, tutior est & in praxi consulenda; licet damnari non debeat is, nec à Sacramento Pœnitentiæ arceri, qui posteriorem amplecteretur, nec ab illa recedere vellet.

Ceterum siue beneficiarij censeantur esse domini reddituum suorum, siue solummodo dispensatores, certum est & apud omnes in confesso peccaturos illos, si portionem illam redundantem profanis vñibus, aut propinquis ditandis impendant; quod aperte conitat ex Cono. Trid. sess. 25. cap. 1. de reform. quod quidem caput, quoniam multa super quæstione, quam tractamus, continet obseruatu dignissima, quæ quicuis in beneficijs & dignitatibus Ecclesiasticis constitutus, maxime ob oculos habere debet, integram hic subiicimus; sic igitur Concilium: *Optandum est, inquit, ut ij, qui Episcopale ministerium suscipiunt (ea verò, quæ de Episcopis, de quibuscunque etiam alijs beneficiarijs intelligenda esse infra declarat)*

que sua sint partes agnoscant: ac se non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse, intelligant. Nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad religionem, innocentiamque facilius inflammandos, si prapostitos suos viderint, non ea, quae mundi sunt, sed animarum salutem, ac celestem patriam cogitantes. Haec cum ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam praecipua esse sancta synodus animaduertat; admonet Episcopos omnes, ut secum ea saepe meditantes, factis etiam ipsis ac vita actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam predicandi genus, se muneri suo conformes ostendant: in primis vero, ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiae, continentiae, ac, quae nos tantopere commendat Deo, sanctae humilitatis exempla perere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginiensi, non solum iubet, ut Episcopi, modesta suppellectili & mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vita genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituta sit alienum; quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum praesferat. Omnino vero eis interdicat, ne ex redditibus Ecclesiae consanguineos familiaresque suos augere studeant: cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, ijs, ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa: imo quam maximè potest, eos sancta synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnalis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium exstat, penitus deponant. Quae vero de Episcopis dicta sunt; eadem non solum in quibuscunque beneficia Ecclesiastica, tam secularia quam regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione obseruari, sed & ad sancta Romanae Ecclesiae Cardinales pertinere decernit: quorum Consilio apud sanctissimum Romanum Pontificem, cum vniuersalis Ecclesiae administratio nitatur, nefas videri potest, non ijs etiam virtutum insignibus, & viuendi disciplina eos fulgere, quae merito omnium in se oculos conuertant.

QVÆ-

## QVÆSTIVNCVLA VI.

Qua sit obligatio Beneficiarium  
ad residentiam.

**R**esidentia nomine intelligitur assiduitas commorationis in loco beneficii ad obsequia Ecclesiastica personaliter reddenda: unde colligitur (vt rectè obferuat Sylu. verbo: *Residentia*) illum, qui in loco beneficii commoraretur, sed nullum vnquam per se præstaret officium, cum posset & deberet, non censendum esse residere.

Ad residentiam igitur personalem eo modo intellectam, obligantur in primis omnes habentes beneficia, quibus animarum cura incumbit, vt expressè declaratur in Conc. Trid. sess. 23. c. 1. de ref. his verbis: *Cum præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, &c. qua omnia ab ijs nequaquam præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non inuisigilant nec assunt, sed mercenariorum more deserunt, &c. declarat sancta Synodus; omnes Patriarchalibus Primatialibus, Metropolitanis ac Cathedralibus Ecclesijs præfectos obligari ad personalem in sua Ecclesia vel diœcesi residentiam; vbi intincto sibi officio desungi teneantur, &c. & infra: Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, & alijs quibuscunque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum, curam animarum habens obtinent, sacro-sancta Synodus declarat, & dicitur. In illo tamen capite permittitur Episcopis singulis annis siue continuè, siue interruptè à suis Ecclesijs seu diœcesibus ex iusta aliqua causa abesse per duos aut ad summum tres menses.*

Ex eodem etiam capite colligunt Doctores curatos, seu parochos, & quosuis alios beneficium Ecclesiasticum curam animarum habens obtinentes, ab ecclesijs suis seu parochijs, per duos tantummodo menses siue continuè siue interruptè quotannis abesse posse, idq; non nisi iusta a-

liquet

liqua ex causa; & dūmodo idoneos vicarios ab ordinarijs approbatos substituunt; ita ut grex ipsorum curæ committitur; nihil ex eiusmodi absentia detrimenti patiatur.

Vtrum autem huius bimestris absentia causa per episcopum approbari debeat, illiusque licentia obtineri, non satis expressè declaravit Concilium: Lessius approbationem illam & licentiam episcopi requiri affirmat loco supra citato; Nauarrus verò cap. 25. num. 121. negat: videtur autem probabilissima sententia Laymanni sup. qui hac in re tutissimum esse dicit, cuiusque diocesis consuetudinem, & statuta Episcopalia sequi.

Qui autem siue Episcopi, siue curati ultra præfatum tempus à iure concessum non resident, præter culpam mortalem, quam incurrunt, etiam fructus pro tempore absentia suos non faciunt, vt habetur ex citato decreto Concilij: quod tamen Laym. intelligi posse existimat solum in casu, quo ex pastoris absentia damnum aliquod notabile illatum Ecclesie foret.

Quod spectat ad alios beneficiarios; qui officium aliquod in Ecclesijs, quibus ascripti sunt, personaliter præstare debent; quales sunt ij, qui obtinēt dignitates, canonicatus, præbendas vel portiones in cathedralibus vel collegiatis Ecclesijs; decrevit Concilium sess. 24. c. 12. de ref. vt illis non liceat vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem Ecclesijs quolibet anno abesse: saluis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius seruitij tempus requirunt; alioquin pro tempore absentia priuandos esse fructibus decernit; super qua re legitima cuiusque Ecclesie consuetudo consulenda est, & seruanda.

Sunt tamen quædam causæ, ob quas diuturnior absentia quorumcunque beneficiariorum etiam curam animarum habentium licita reddi potest, quales sunt (vt loquitur Conc. sess. 23. c. 1. *Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac euident Ecclesia, vel Republica utilitas*: quæ tamen causæ, vt legitimæ censeantur, a superioribus probari debent, nisi quando absentia contingit

ob aliquod munus & reipublicæ officium Episcopatus, aut alijs beneficijs adiunctum.

### QVÆSTIVNCVLA VII.

*Quenam requirantur dispositiones, vt quis censetur idoneus ad beneficium aliquod Ecclesiasticum.*

**P**rima est, vt sit ex legitimo thoro procreatus: illegitimus enim cuiuscunque beneficij incapax est, nisi cum eo dispensetur: dispensatio autem illa in Episcopatus & alijs beneficijs curam animarum habentibus non nisi per summum Pontificem dari potest; in alijs autem beneficijs simplicibus etiam per Episcopum. Ita habetur ex cap. 1. de filijs presbyterorum in 6.

Secunda est, vt sit saltem prima clericali tonsurâ initiatus, alias inhabilis censetur ad quoduis beneficium: id constat ex cap. *Cum Deo* 17. de rescriptis, & cap. *Ex literis* 6. de transactionibus. Requiritur præterea, vt is, qui Ecclesiam parochialem adeptus est, promoveatur ad ordinem presbyteratus intra annum à tempore pacificæ possessionis; alias ipso iure beneficio illo priuatus censetur. Ita cap. *Licet Canon* 14. & cap. *Commissa* 35. de electione in 6. qui autem dignitatem, personatum, præbendam, portionem & aliud simile beneficium in Ecclesijs Cathedralibus vel Collegiatis obtinet, tenetur infra annum ordinem officio sibi proprio conuenientem suscipere, v. g. si ad Evangelium cantandum ratione officij sui deputatus est, Diaconatum suscipere debet; si ad missam celebrandam, presbyteratum. In Ecclesijs tamen Cathedralibus tenentur Canonici intra annum ad Ordinem sacerum presbyteratus aut diaconatus, vel saltem subdiaconatus promoveri, vt statutum est in Conc. Trid. sess. 22. cap. 4. & sess. 24. cap. 12. qui verò Episcopatum adeptus est, nisi munus consecrationis intra tres menses suscepe-

rit, ad fructuum perceptorum restitutionem tenetur: & si totidem postea mentes neglexerit, Episcopatu ipso iure priuatus est. ex eodem Conc. Trid. sess. 23. cap. 2.

Tertia est, vt non sit coniugio copulatus, vt habetur cap. 1. 2. & 8. de Clericis coniugatis, & in Trid. sess. 22. cap. 4. Vnde, si quis clericus beneficium habens & nondum sacro Ordine initiatus Matrimonium contrahat, ipso iure illud amittit, vt ex communi Doctorum consensu & Ecclesie praxi constat.

Quarta est, vt nullâ sit censurâ irretitus aut irregularitate affectus; collatio enim beneficij facta excommunicato excommunicatione maiori, suspensio, interdicto, vel irregulari nulla est, & ipso facto irrita; vt habetur ex cap. *Postulastis* 7. de clerico excommunicato, cap. *Cum dilectus* 8. de consuetudine, cap. 1. de postulatione prælatorum, & cap. *Tanta* 18. de excessibus prælatorum.

Quinta est, vt probis moribus, & doctrinâ sufficienti præditus sit, id habetur ex cap. *Cum in cunctis*, de elect. & ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 12.

Sexta denique est, vt habeat determinatam intentionem status ecclesiastici, ordinisque muneri suo necessarii, nec non in suscepto beneficio sincere & bonâ fide Deo inferuendi; id constat ex cap. *Super inordinata*, & cap. *Gravi*, de præbendis; & ex communi Theologorum consensu docet Less. cap. 34. dub. 26. Vnde sequitur illum peccare mortaliter, qui acceptat beneficium ali- quod absque rectâ & Deo gratâ intentione, sed solummodo vt eius fructus per aliquod tempus percipiat, v.g. donec studiorum cursum absoluerit, vel opulentam vxorem inuenerit; vt ex Nauarro & alijs probat Lessus sup. qui etiam docet eundem teneri ad restitutionem fructuum perceptorum, nec posse beneficium illud licite retinere.

ARTI.